



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*FILIUM DEI***ECCLESIA CATHEDRALIS SANCTIS MICHAËLI
ARCHANGELO ET**

FLORIANO MARTYRI DICATA IN DIOECESI VARSAVIENSI-PRAGENSI,

AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – «Filius Dei adoramus; martyres vero

tamquam Domini discipulos et imitatores merito diligimus propter eximiam ipsorum erga Regem ac Magistrum suum benevolentiam» (*Martyrium Polycarpi*, 17, 3). Quapropter libentes accepimus postulationem Venerabilis Fratris Casimiri

Romaniuk, Episcopi Varsaviensis-Pragensis, ut Ecclesia Cathedralis eiusdem dioecesis, ubi sanctus Florianus martyr, una cum sancto Michaële Archangelo, principe magno, qui venit in adiutorium nostrum (cfr *Dn* 10, 13; 12, 1), a

sacerdotibus praedicantur et a christifidelibus piissime coluntur, dignitate Basilicae Minoris exornaretur. Nunc igitur

concedimus eiusmodi petitioni, confisi sane fore ut, intercedentibus sanctis Michaële et Floriano, hoc privilegium haud parum conferat ad bonum populi Dei illius dioecesis divinamque misericordiam abundantius super eum fundendam. De consilio ideo Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, potestate Nostra Apostolica per has Litteras statuimus, ut Ecclesia Cathedralis Sanctis Michaeli Archangelo et Floriano martyri dicata in dioecesi Varsaviensi-

Pragensi, titulo et dignitate *Basilicae Minoris* fruatur, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis its quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris, anno MCMLXXXIX datum, servanda sunt.

Haec vero nunc et in posterum firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Ianuarii, anno MCMXCVII, Pontificatus Nostri*

undevicesimo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana
